

premissorum presentes nostras literas exinde fieri mandavimus nos quoque Baldewinus archiepiscopus Bremensis prefatus has litteras sigillo nostri officialatus et nos Iohannes abbas in Hersevelde nostro sigillo pro nobis et supradicto domino Hinrico abbate in Berga compresidente nostro de eius expresso consensu et voluntate iussimus appensione communiri.

*Original mit einem Siegelfragment im Staatsarchiv zu Magdeburg s. r. Kloster-Bergesche Stiftung 157.*

**1440, März 18.**

**278.**

*Notariats-Instrument über die Production von Beweisen, namentlich einer Bulle des Papstes Martin V. vom 27. September 1423 u. a., dass die wüste Kirche in Billingsdorf mit ihren Einkünften dem Kloster Berge incorporirt sei.*

Philippus de Tanghermundis decanus ecclesie sanctorum Petri et Pauli apostolorum nove civitatis Magdeburgensis executor et commissarius unicus ad infrascripta a sede apostolica specialiter deputatus universis et singulis dominis abbatibus prepositis prioribus decanis scolasticis tam cathedralium quam collegiatarum canonicis parrochialiumque ecclesiarum rectoribus vicerectoribus eorumque capellanis presbiteris clericis et notariis publicis quibuscumque omnibusque aliis et singulis quorum interest et quos infrascriptum tangit negotium seu tangere poterit quomodolibet in futurum quibuscumque nominibus censeantur per civitatem et diocesim Magdeburgensem ac alias ubilibet constitutis qui presentibus fuerint requisiti communiter vel divisim salutem in domino et mandatis nostris ymmo verius apostolicis firmiter obedire, quod bone memorie dominus Hinricus Ians predecessor noster mediatus quasdam literas apostolicas felicis recordationis domini Martini pape quinti eius vera bulla plumbea cum cordula canapis impendente bullatas sanas et integras ac illesas sibi per providum virum magistrum Hermannum Warendorp syndicum et procuratorem venerabilis in Christo patris domini Hinrici abbatis ac religiosorum virorum prioris et conventus monasterii sancti Iohannis baptiste in Berghe extra muros civitatis Magdeburgensis ordinis sancti Benedicti habentem ad hoc mandatum speciale [de]putatus idem predecessor noster cum ea qua decuit reverentia recepit. Quarum quidem literarum apostolicarum tenor de verbo ad verbum sequitur et est talis: Martinus episcopus servus servorum dei dilecto filio decano ecclesie beatorum Petri et Pauli nove civitatis Magdeburgensis salutem et apostolicam benedictionem. Sacre religionis sub qua dilecti filii abbas et conventus monasterii sancti Iohannis baptiste in monte extra muros Magdeburgenses ordinis sancti Benedicti devotum et sedulum reddunt altissimo famulatu promeretur honestas ut illa que ad commoditatem ipsius monasterii et personarum in ipso sub regulari observantia domino famulantium cedere valeant apostolici favoris